

tuo regimine compositos , & scientias tuo ab exemplo post-
liminio veluti revocatas .

Faxit Omnipotens Deus , a quo bona cuncta procedunt , faxit , **EMINENTISSIME DOMINE** , ut quæ una & quidem nobilissima Ecclesia recepit , eadem & majora universalis Ecclesia exspectet . Hoc sane exigit meritum tuorum amplitudo , hoc Christiani Orbis votum , hoc totius Ecclesiæ desiderium . Ego vero pro modulo tenuitatis meæ Te deprecor hujusce munusculi mei promptum animum non renuendi ; ut postmodum merear de benignitate voluntatis tuæ gratulari .